Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et si distribuero omnes pauperum omnes facultates meas.
Si tradidero corpus meum ita ut ardeam caritate autem non
habuero nichil michi prodest. Caritas patiens est benigna cari-
tas non emulatur non agit perperam non inflatur non
querit que sua non sunt non irritatur non cogitat malum
non gaudet super iniquitatem congaudet autem veritati.
Omnia suffert omnia credit omnia sperat omnia sustinet.
Caritas nunquam excidit. Sive prophetie evacuabuntur
sive lingue cessabunt sive scientia destruetur. Ex parte enim
cognoscimus et ex parte prophetamus: cum autem venerit
quod perfectum est evacuabitur quod ex parte est. Cum esset par-
vulus loquebar ut parvulus sapiebam ut parvulus cog-
itabam ut parvulus: quando autem factus sum vir evacua-
vi que erant parvuli. Videmus nunc per speculum in enigmate
nunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tu
cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manet fides spes
caritas tria hec. Maior autem horum est caritas. Secundum
Marcum

In illo t: Assumpsit ihesus duodecim discipulos
suos: et ait illis. Ecce ascendimus hierosolimam: et consummabun-
tur omnia que scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradet
enim gentibus: illudetur et flagellabitur et conspuetur. Et
postquam flagellaverint occident eum: et die tertia resurget.
Et ipsi nichil horum intellexerunt. Et erat verbum istud abscon-
ditum a eis: et non intelligebant que dicebantur. Factum
autem cum appropinquaret iericho: cecus quidam sedebat secus
viam mendicans. Et cum audiret turbam pretereuntem
interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quod ihesus na-
zarenus transiret. Et clamavit dicens: Ihesu fili dauid
miserere mihi. Et qui preibant increpabant eum ut taceret